✠

VOTA, ET MOTIVA A PROCESSV FRANCISCÆ DE ERBAS,

SVPER APPREHENSIONE.

Die XXV. mensis Iunij, anno M.D.LVIII.

Eadem die in Camera Consilij fuerunt præsentes Domini Locumtenentes sequentes.

Dominus F. Lunel. *Dominus Io. Bardaxi.*

Dominus Ia. de Luna. *Dominus Do. Romeo.*

Dominus Io. de Ribas.

EAdem die in Processu F. de Erbas super apprehensione, qui stat in diffinitiua, &c. Dominus Io. de Ribas Tel. facta relatione, &c. fuit voti, quod debet pronuntiari contenta in propositione oblata pro parte Franciscæ de Erbas, principalis Hie. Villanueua Proc. fore fienda fieri debere, eaque fieri mandare iuribus suis durãtibus vna cum expensis per Nos taxandis quibus finitis contenta in propositione oblata pro parte Illustrium Marchionum de Camarasa principalium, Io. de Pilares Proc. fore fienda fieri debere, eaque fieri mandare præstita prius cautione forali debite, & iuxta forum omnibus alijs propositionibus in præsenti Processu oblatis, reiectis, & repulsis, & quoad alios, neutram partium in expensis condemnando, saluis, & reseruatis iuribus sua iura reseruari petentibus, non obstantibus quibusuis in contrarium allegatis, petitis, & fieri requisitis, quæ attent. content. & natura causæ locum non

habent. EX EO præſertim, & alias recipitur propoſitio Franciſcæ de Erbas, quia conſtat Sebaſtianum de Erbas, ex ipſa Marchionum confeſsione dominum, & poſſeſſorem, bona apprehenſa hypothecaſſe, non conſtat inſuper de aliquo debito anteriori, propter quod illa bona eſſent oneri ſubiecta reali, cum Marchiones, qui ab ipſa Ciuitate ius, & cauſam habent in eo potiſsimũ innitantur, videlicet quod per ipſorum authorem, bona, in vim Priuilegij, fuerunt occupata, & Fiſco applicata, exceptione vindictæ factæ ſe, tutiſsima, & potentiſsima iubantes, deducentes inde, quod cauſa, ab iſta vindicta, virtute, & vigore Priuilegij facta, recurſus denegetur, Sebaſtianum, & ab eo cauſam habentes vi exceptionis eſſe neceſſario repellendos; mihi autem, cum neceſſarium ſit, de tanti Priuilegij intellectu rationem reddere, nonnulla in mediũ ſubijciam, quæ non tendant eo vt impugnent Priuilegiũ (quid enim abſurdius) ſed quę mentem meam, circa eius vires, & potentiam, apperiant. Ciuibus ergo Cęſarauguſtanis Priuilegium, in vim contractus conceſſum eſt, & per actum Curiæ roboratum, vt authoritate legis ſe defendant, & iniurias propulſent, & denique pignorent, & alia faciant de quibus in Priuilegio, ſicut multis in iure conceſſum eſt, vt propria authoritate ſe vindicent, quo varie Cæſarauguſtani vſi fuerunt, extendẽtes eius fimbrias, etiam contra verba Priuilegij, nam aliquando, non contra facientes tortum, ſed contra alios, ad modum repræſaliarũ; aliquando, non contra facientes tortum in tota mea terra, ſed in alia, vſi fuerunt, & licet, vindicta conceſſa ciuibus, intelligatur conceſſa, quando principaliter tota communitas, non quando ſecundario ex perſona ciuis, vel vaſalli offenditur, niſi fieret in odium ciuium principaliter, & licet vindicta conceſſa communitati, non cenſeatur contra Clericos, & alias perſonas priuilegiatas, & licet conceſsio pignorationis, non tribuat venditionem, variè tamen, & promiſcue ab antiquis, & modernis aliquando factitatum vidimus, & vſitatum etiam videmus, vt vindicta, quæ ceſsibi-

lis

lis non est, sed maximè personalis, præcipuè cum per ista verba (vos ipsi) cōceditur, in totum sit alijs delegata, & nō, vt facilius expediretur executio, alij adiūcti sunt, quod permissum est, sed totalis potestas in alios est translata: videmus etiam, circa electionem XX. ab ipso concilio faciendā omnino, per verba Priuilegij (vos ipsi) & in alios nō transmissibilem potestatem electionis de melioribus, quod etiā requirit industriā, in ipsosmet XX. transfussam, & maximè hoc in nostris temporibus, & vt videant omnes quanto cū fauore receperit incrementum, licet verba Priuilegij nō dicant, videmus receptum fuisse, vt executio Priuilegij nullis, nec iurisfirmarum, nec apprehensionis obstaculis impediretur, donec suum consequeretur effectū, quod omnes fatentur, & hæc omnia admittimus, nullum imponentes, nec admittentes scrupulum, tribuentes hoc Priuilegij antiquitati: videmus, etiam vsitatum, vt nulla citatione præmissa executionē facerent, & non iniustè, præmissis tamen aliquando monitionibus, vt grauantes ab iniurijs desisterent, quas tantum, ex vrbanitate, non necessitate faciebant; ad quid enim ciuitas hostiliter, & extraiudicialiter, vt priuata persona procedens, hostes citaret à quibus inuitis, grauamine facto, bona erant extorquenda, nisi vt se ad bellum præpararent, vt nō minus ridicule citaret, ac creditor quando debitor se pręparat ad fugā, cui cōcessa est executio realis, & si ciuitas absoluta extraiudicialiter vtitur potestate, sicut in Principe extraiudicialiter à priuatis ex causa bona auferēte cū iuris authoribus citationē necessariam non putamus. Ex quo sequitur indignè clamitare nōnullos de citationis defectu, super quo multa glomerauerunt, bene verū est, quod ex hac causa potuit moueri ad decidendū, quod ab his quę fiunt, virtute Priuilegij, habeatur recursus, nam authores iuris, ideo sine citatione, ad voluntatem creditoris, ex Priuilegio, vel statuto executionem concesserunt, quia necessario illo casu, ex post facto, recursum proposuerunt, quasi tunc non defensio tolleretur, sed mutaretur, vt defensiones quas

citatus opponere potuisset, se defendendo, ex post facto à non citato agendo admitterentur: totalem enim defensionem, ante, & post æqui viri absurdum, & imposibile putauerunt, & ideo aliqui sapientes aliquando sic intellexerunt propositionē istam vulgarem, licet male intellectam, quod de his quę fiunt virtute Priuilegij nullus habeatur recursus, dicentes, debere intelligi cum effectu, non quod non posit recurri, sed quod si in casu Priuilegij, facto torto, & suum directum, iuxta Priuilegium, fuerint consequti, illud non posit iure retractari, & ita ista verba interpretati fuerunt; & illa verba, non speretis iustitiam, non rigide, sed decidendum hoc secundum æquitatem intellexerunt; mihi autem; circa propositionem istam, maiori cura, examine, & altiori iudicio, cum opus fuerit, decoquendum visum fuit, & videtur, ne quis nos vendicet, quasi à maiorum placitis discedentes, quod ab his quæ fiunt, virtute Priuilegij, nullus habeatur recursus, etiam ex post facto, & ita fateamur necesse est, etiam refragātibus verbis, donec suum directum, quod si Ciuitas est vsa Priuilegio suo casu non poterit, quis conqueri, vltra modum, pignoratum, non de iustitia, vel iniustitia, & ita pro nunc transeat, debet tamen ciuitas, & hoc est quod quærimus, si vult aliqua bona apprehensa, quasi suo casu occupata, recuperare, monstrare illud esse factum in vim suæ potestatis limitatæ, licet absolutæ, & hoc nō est habere recursum à Priuilegio; quis dubitat, quod dominus vasallorum habet potestatem absolutam, limitatam tamen in suis vasallis, sine recursu, & tamen fatuus esset Iudex, qui apprehensionem tolleret à bonis, ex solis litteris domini dicentis, vigore suæ absolutæ potestatis occupata, si enim ita esset, omnes Regni libertates, omnia omnium capita, essent in potestate cuiuscunque minimi vasallorum domini, non ergo recurritur à domino, sed negatur esse in casu, in quo est potens dominus, & licet contra instrumentum opponi nihil posit, ex vi statuti, negatur tamen illud, quod in iudicio affertur esse instrumentum, & licet litteris de XX. creden-

dendum omnino esset, quis potest negare, quin contra eas posſit obijci, quod non erant litteræ de XX? & ex hoc derogaretur litteris, quia negatur esse tales, & sic succedit reg. quod non creditur litteris habentis potestatem limitatam, quantumcumque Principis supremi, dicentis suo casu facere, & hoc præcipuè circa delicta, circa auferenda dominia priuatorum, nam si crederetur, potestas limitata efficeretur vniuersalis, & absoluta, & hoc omnes fatentur, vt mirandũ sit, vnde ciues nostri tantas erigant cristas, vt indignũ putent, & pro dedecore habeant, sacris Principibus, quos in terris Semideos vocant, in Regno illo, vbi magis triũphãt, adæquari, quibus tanquam in causa propria testificantibus, ex omnium consensu, in hocmet casu, non creditur, & licet aliquibus videatur credi præsumptiuè, donec contrarium probetur, quando habẽt potestatem limitatam, sine recursu, illimet hoc verum fatentur, si specificè delicta propalentur, & ita in vniuersitate asserente aliquem commisiſſe delicta, ne quis secus hic secus ibi causetur, sapientes iuris cẽsuerunt, quanto magis cum satis probari cõtrarium videatur, cum enim delicta hic generaliter asserãtur, contrarium, ex articulo de bonitate, & legalitate Sebastiani de Erbas, probatum videtur, causam enim iustam, & veram, ex ratione legalis sapientiæ, requirimus, in hoc casu, vt præsumptiuè credatur, quæ proculdubio iusta non est, si taliter proponatur, vt aduersarius beneficio à lege concesso probandi contrarium priuetur. Vt autem ad consuetudinem prætẽsam recurramus, quæ tutiſsima, & firmiſsima anchora est, licet hanc viderim magnificis verbis iactatam, non potui esse probatam mihi persuadere, à qua multi si se expedire, non dici posse consuetudinem ab initijs violentis originẽ trahentem, & totalem defensionem de iure naturali introductam subuertente, quæ nec Priuilegio, nec statuto, & per consequens, nec ex consuetudine fieri potest, cũ eradicet iustitiæ naturalis radicem, inferentes insuper esse contra iurisfirmas, & alias Regni libertates, quæ nec vsibus, nec

contrarijs vſibus tolli poſſunt, & ita iure optimo ſpernenda, mihi autem, talem conſuetudinem introductam non eſſe, & perſuaſiuè, & neceſſario, ita ſuadetur; exemplis ſiquidem iudicandum non eſt, niſi ex illis tacitus populi conſenſus colligatur, quis autem poterit ſibi perſuadere Aragonenſes, in libertatem vocatos, conſenſiſſe, & neſcio quibus ſententijs, vtcumque probatis, generaliter omnia apprehenſionis, manifeſtationis, & iurisfirmarum remedia, tot laboribus, & vigilijs ex cogitata tot, meritis, & ſanguine redempta, ad nutum hominum, quicumque illi eſſent tollerētur? præterea vſque ad noſtra tempora, ex litteris, vbi fuit iudicatum, quod à nobis petitur, vt conſuetudinem inductam dicamus? nam in caſu iurisfirmæ illud fuit ante factũ, & ita non poteſt inferri ad poſt factum, in denuntiatione fuit in criminali cauſa, quis inferat ad ciuilem, & illa cauſa criminalis deſcendebat à iurisfirmæ denegatione, rectè facta, vtpotè cum iurisfirma tenderet ad impediendam executionē Priuilegij, & ibi Regnum proteſtatum fuit. Et ego non video, quod ſi per conſuetudinem in certo caſu ſcilicet ad impediendam executionem, ex litteris poſſet iurisfirma tolli, quod illo caſu eſſet apprehenſio tollenda, quando recurritur ex poſt facto, & quod ſi aliqua conſuetudo contra ius eſſet inducta in proceſſu criminali, vel iurisfirmę ante factum, quod illa ſit ſeruanda in proceſſu apprehenſionis ex poſt facto, quia omnes litteræ quæ vſque ad noſtra tempora miſſæ ſunt à concilio, quia nullæ hucvſque miſſę ſunt à XX. ante Nos eo tendebant, ne executio impediretur, & non quo recurſum, & negando executionem ante factam, maximè Ciuitatis conſuetudo, etiam ſi eſſet interpretatiua, quod hic non eſt, cum ſit contra ius, deberet eſſe præſcripta, & tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum; vnicum eſt exemplum in proceſſu, de los Cerdanes, apprehenſionis, ex quo, qui exemplum vellit ſummere, omnia conducere cum caſu propoſito debet probare, ibi autem fori declinatoria, diuerſo modo propoſita fuit; & ſententia promulgata, di-

uerſimode proceſſum fuit,nõ obſtante declinatoria ad ſententiam,& poſt ſententiam Iudex,quod expreſſerat in ſententia receptionis litispendentiæ, dixit non fore comprehenſum in ea,vt mirer ſi ex illa ſententia ne dum conſuetudinem,ſed nec exempla,quis audeat ſumere, quanto magis quod neſcimus,ex qua cauſa Iudex,ita motus eſt , an ex eo quod delicta,ibi fuerunt notoria ad quæ punienda proprie Priuilegium conceſſum eſt ; ad alia exemplaria in quibus nihil iudicatum fuit,tam clarè ſunt reſponſiones, vt non ſit opus tempus terere,& iſta dicta ſunt,quo ad intereſſe Marchionum , nam,quo ad intereſſe Ciuitatis,in præiudicium Franciſcæ de Erbas , poſſet dici,de nouiter allegatis rationem non habendam , nam interlocutoria per Nos lata,ex nouiter deductis,cum à principio deduci potuerunt reuocari non poteſt, ſaltim in præiudicium Franciſcæ primam ſententiã acceptantis,niſi iura ſubuertamus, vnde ſi à principio ſententia rectè lata fuit , quia non conſtabat de conſuetudine,ex nouiter fidefactis , licet de ea conſtaret, quod rectè factum fuit,retractari non potuit,Sebaſtianus autem non probat incluſionem legitimè.re.alios,&c.

Domini F.Lunel,& Do.Romeo Tel. facta reſponſione, &c.fuerunt voti,& opinionis,quod debet pronuntiari att. reſeruatione ſub die 10. Ianuarij per eorum Collegas facta,& att.contt. & att.verbis Priuilegij,practica,obſeruantia,& conſuetudine notoria , & immemoriali dictum Priuilegium interpretantibus,& att.cauſis in dictis litteris fori declinatorijs , & inhibitionis, contentis , de quibus notoriè conſtat, non fore procedendum ad vlteriora in huiuſmodi proceſſu , & cauſa præſentemque apprehenſionem non fore proſequibilem,& illam,& ſigna regia,fore, & eſſe tollenda,& amouenda , eaque tolli,& amoueri mandari, quaſcunque pronuntiationes in cõtrariam factas, reuocãdo,non obſtantibus quibuſuis in cõtrarium allegatis,& cũ his ijdẽ domini Locumtenentes dixerunt,quod ſi & vbi cęteri Collegę fuerint voti,per dominũ Relatorẽ,in præſenti

die

die, iã prę∫titi, taliter, vt ∫uper definitiua, ∫iue prouiſione litis pẽdentiæ cõſulere, & votare teneãtur, eo in caſu, & nõ alias fuerunt voti, quod att. cont. debet pronuntiari, contenta in propoſitione oblata pro parte Illuſtrium dominorum Marchionum de Camaraſa, principalium Io. Pilares Proc. fore fienda, fieri debere, eaque fieri mandare, præſtita prius cautione forali debite, & iuxta Forum, omnibus alijs propoſitionibus in præſenti proceſſu oblatis, reiectis, & repulſis, ac ſaluis, & reſeruatis iuribus, ſua iure reſeruari petẽtibus, neutrã partiũ in expenſis, ex cauſa, cõdemnando. Ex eo, & aliàs, quia perpenſis tortis, iniurijs, & damnis in litteris per Ciuitatem Cæſarauguſtanam, ſiue vigenariam poteſtatem enarratis, & per Sebaſtianum de Erbas, vt in dictis litteris dicitur eidem ciuitati illatis, commiſsis, & ſubſecutis, quibus ſic à pluribus firmatis, & ſigillo ſolito ſigillatis, & expeditis, de conſuetudine immemoriali, plena adhibetur fides, conſtat facta declaratione, prout moris eſt dictæ Ciuitatis, ſuper Priuilegio inferius mentionato, & condemnatione præcedente aduerſus dictum Sebaſtianum, prout præceſsit pro directo, & emenda, accipiendis in præmiſsis, occupationem, annotationem, & deſcriptionem, de domibus apprehenſis anno 1560. & eis poſt ſubaſtationem, & vẽditionem, dictis Marchionibus, cum poſſeſsionis traditione per dictam vigenariam poteſtatem, in vim Regij Priuilegij antiquiſsimi, vulgariter nuncupati de Viginti, & alias factas, fieri potuiſſe, & à declaratione dicti Priuilegij, condemnatione, occupatione, annotatione, deſcriptione, & venditione, nec alijs executionem dicti Priuilegij concernentibus, ad hanc Curiam, licet ſupremam dicto Sebaſtiano, per viam apprehẽſionis, nec alias, recurſum non ſubeſſe, nec de illis litteris deſuper mentionatis præſentatis amplius cognoſci poſſe, vt hæc, dictum Priuilegium, & ipſius interpretatio, vſus, & obſeruantia antiquiſsima, cum conſuetudine immemoriali, fulcita, cunctis indicant, vera eſſe, & cum inſertis in proceſſu, & alias rem notoriam faciunt. Neque debet cenſeri illi-

ci-

citum, quod propter publicum bonũ huiuſmodi ciuitatis, tamquam nobilis,& inſignis authoritate, & gratia Principis, videlicet Regis Alphonſi, pronepotis Don Santij maioris, totius Hiſpaniæ vocati Imperatoris, & conſuetudine immemoriali, vſque ad noſtra tempora reperitur, permiſſum, conceſſum, obſeruatum, & practicatum, a practica enim antiqua Iudex recedere nõ debet,& morem antiquorum, & conſuetudinem immemorialem circa præmiſſa inuentam ſeruare debet, quæ cum ſit tanti temporis, quod de eius initio memoria hominum in contrarium non exiſtat, pro iuſta rationabili,& legitima reputanda,& ſeruanda eſt, vna, ſimul cum dicto Priuilegio Regis Alphonſi, huius nominis Primi, qui hanc fęliciſsimam Ciuitatẽ Cæſarauguſtanam oppugnauit,& eam à Sarracenis cępit,& populatoribus eiuſdem Ciuitatis, dictum Priuilegium conceſsit, quod & eius interpretationem, obſeruantiam, & practicam Iudex ſequi,& obſeruare tenetur,& in caſu occurrenti, omnis tollitur dubitatio cum de tortis,& iniurijs, quæ in dictis litteris aſſeruntur, contrarium non probetur, recipitur propoſitio dictorum Marchionum, quos ex ſupradictis,& proceſſu conſtat fouere, potiora iura, & tempore oblationis appellitus apprehenſionis eſſe repertos melius in poſſeſsione, & inſiſtentia dictarum domorum, quam cæteri collitigãtes, & eiſdem non obeſſe contenta in propoſitione Domnæ Franciſcæ de Erbas, cum eius pater annuam pẽſionem quatuor millium ſolidorum cenſualium, per eam petitam, & prætenſam ſuper dictis domibus imponere non potuerit, cum eo tempore, videlicet celebrationis dicti contractus,& per plures menſes ante, per dictam vigenariam poteſtatem, iã eſſet condemnatus, & dictæ domus annotatæ deſcriptæ, & publicè,& palam occupatę,& ſic affectæ,& in alienabiles factæ, quæ ſi poſt prædicta, hypothecari,& alienari potuiſſent, dictum Priuilegium, ac mandatum dicti Principis cum poteſtate ipſius Ciuitatis, in præmiſsis, eluſſorium eſſet,& fruſtari poſſet, & ſuum non poſſet ſurtiri effectum,

quod minimè est dicendum concurrentibus supradictis, atque dicti censualis emptore prædicta sciente.

Dominus Ia.de Luna Tel. facta responsione ad dubia, &c.fuit voti, & opinionis Domini Io.de Ribas Tel.ex eisdem Motiuis.

Die XXVI.mensis Octobris,
anno M.D.LVIII.

Eadem die in Camera Consilij fuerunt præsentes Dominus Iustitia Aragonum,& Locumtenentes sequentes.

Dominus Ioannes de la Nuza
Iustitia Aragonum.

Dominus F. Lunel. *Dominus Io. Bardaxi.*

Dominus Ia.de Luna. *Dominus Io. de Ribas.*

EAdem die,in processu F.de Erbas super apprehensione, dominus Io.Bardaxi facta responsione, &c. dixit quod in euentum tantum,quo nō sperata vlteriori declaratione, super reuocationibus ab eadem parte petitis, propter fraudes vitandas teneatur votum suum præstare relinquendo prædicta arbitrio domini Iudicis , & cæterorum dominorum Collegarum suorum,in prædictum euentum , dumtaxat,offerebat,& dabat votum suum, dicendo, quod saluo, & reseruato iure super reuocatione petita,erat voti,& opinionis domini Io.de Ribas Tel.Relatoris ex eisdem Motiuis. Et præsertim , quia id quod dicitur assertioni Principis standum esse præsumptione iuris, & de iure,cōmuniter receptum est procedere solum,& dumtaxat in his,quæ à mera,& libera potestate Principis pendent , quod non tantum in Papa, & alijs Principibus nō recognoscentibus superiorem, sed in alijs inferioribus(retentis tamen eisdem terminis, scilicet,quod agatur independētibus asseueramus) vnde

si à

si à mera, & libera voluntate vniuersitatis, & populatorum Ciuitatis Cæsaraugustæ pendet, dominia bonorum alicuius auferre, & seu illa destruere ingenue fatendum est, eorum assertioni in prædictis standum esse, sed tale Priuilegium nō habent, nec habere possunt, cum neque Papa (omissis beneficialibus) neque Imperator, aut alij Principes non recognoscentes superiorem dominia rerum à iure gentium quæsita, etiam de plenitudine potestatis (vt communiter receptum est) sine causa legitima auferre non possunt, saltem non soluto pretio. Priuilegium habent, dumtaxat distringendi, & destruendi facientes tortum, commensurando tamen destructionem ipsi causæ destruendi, & non excedendo modum, quare sequitur, cum in occurrenti casu non simus independentibus à libera voluntate, quia de occupatione bonorum agitur, nusquam in aliquo, nec in Papa assertio causæ tantum operatur, quod præsumptionem inducat iuris, & de iure, ne naturalis defensio tollatur in totum; vno tantum casu, & respectu dictorum priuilegiatorum assertio prædictam præsumptionem iuris, & de iure induceret, quādo de impediendo executionem Priuilegij ageretur, secundam nostram sententiam, ne dictum Priuilegium frustratorium redderetur, hoc habent, vt non obstante quacumq; cuiuscumque Iudicis prouisione, factum destructionis, & emendam peragere posint, cum & illud in plerisque iuris, & fori, casibus, saluo iure retractationis cautum reperitur. Ex quo non in totum dicta naturalis defensio tollitur, sed potius defendendi modus variatur, si ergo in concernentibus executionem Priuilegij, hoc habet assertio, & quod per illam frustrantur quorumcumque iudicū prouisiones, merito enim asserere quod illa quæ distrahuntur, vel occupātur fiunt in executionem sui Priuilegij, pendet quo ad dictū effectum à mera, & libera volūtate priuilegiatorum, sequitur dictam assertionem, quo ad dictum effectum præsumptionem inducere iuris, & de iure per supradicta: & inde si per Locumtenētes Domini Iustitiæ Aragonum prouideatur

tur iurisfirma, ne quis per vniuersitatem ciuitatis turbetur in sua possessione, ex sola allegatione priuilegiatorum declarabitur, dictam iurisfirmam, non debere esse impedimẽto, nec impedire dictam executionem, cum ea non obstante fieri posit, & licet prædictus modus distringendi, & se emendandi eo respectu, ne impediatur depẽdeat ab eorum mera voluntate, non tamen libere dominia auferre, & destructionem facere potest vniuersitas, sicut nec Princeps, nisi præcedente legitima causa per supradicta, cum ergo hæc occupatio bonorum, non dependeat à libera volũtate occupantium, nisi causa præcesserit, nusquam assertio causæ tantum operabitur, alio respectu, quam supradicto, quod præsumptionem inducat iuris, & de iure, sed nec prædicta assertio causæ occupationis bonorum præsumptionem iuris inducit, quoniam causa priuationis, quæ necessario requiritur, non præsumitur etiam in Principe, ne dum in inferioribus, si ergo causa non præsumitur, nõ est videre qualiter pro dicta assertione causæ præsumatur, & ita sæpissimè in his prohibitis, & certo casu permissis iudicatum existit iurisdictionem Iudicis vniuersalis non impediri, ex sola assertione occupantium bona, aut personas, nisi casum suæ iurisdictionis ostendissent, etiam si à gestis, in dicto casu nõ habeatur recursus; si in habentibus iurisdictionem hæc procedunt, pro quibus iura præsumunt, prȩterquam in his, quę ad iustificandas eorum sententias tendunt, quanto fortius in non iudicibus (vt sunt executores priuilegiorum) se hostiliter vindicandi, in quibus indubitata est sententia, in dictis prohibitis eorum assertioni standum non esse; maximè vbi generaliter delicta asseruntur aduersus eum, qui se legalem ostendit, vt in casu occurrenti, in quo Sebastianus de Erbas, se legalem, & pacificum ostendit, aduersus quem delicta, nõ limitata certo tempore, & loco obiciuntur, hęc sunt quæ à iure procedunt. Dicitur autem immutatum totum propter consuetudinem, nam asseritur dandam esse fidem propter illam litteris de XX. sigillatis, & ab eis, & Iura

tis Ciuitatis firmatis, quæ litteræ, licet à foro non probent
tamen consuetudo, quæ potest tribuere fidem non haben-
ti, hoc fecit, similiter, etiam propter dictam consuetudinem
stãdũ esse assertioni super dicta causa occupationis, licet ea
sit virtus consuetudinis, non tamen adesse, talem consuetu-
dinem, ex rimatione omnium processum fidefactorum, ad
illam probandam perpenditur notoriè, quoniam vsque ad
hæc tempora negotiorum Sebastiani de Erbas, de quibus
ob defectum cursus temporis, & propter appellationes in-
teriectas, non licet summere argumentum, nusquam in Cu-
ria Domini Iustitia Aragonum, tales litteræ de Viginti fue-
runt præsentatę; præterquam illę litteræ Monitoriæ à Iura-
tis emanatæ, quæ fuerunt præsentatæ Iacobo de Montesa,
super torto à se facto, vt prætendebatur per dictam vniuer-
sitatem, quia se Iudicem competẽtem, declarauerat in pro-
cessu iurisfirmæ, ad impediendum executionem Priuilegij,
quibus litteris facile Iudex fidem dare poterat, si seriem fa-
cti, & torti à se gesti narrabãt; deniq, nullę litteræ in aliquo
ex processibus actitatis in Curia Dñi Iustitiæ Aragonum, &
fidefactis, reperiũtur præsentatæ, sed tantum quædam cedu-
la oblata per Procuratorem Ciuitatis, & firmata per eius
Aduocatum, sicut cedulæ in causis à partibus offeruntur,
non ergo orta est consuetudo prædicta, quod credatur lit-
teris de Viginti in Curia Domini Iustitię Aragonum, ex
quo nũquam in eadem, vsque ad hæc tempora, fuerũt præ-
sentatæ; sed nec refert, licet introducta fuisset in alio Con-
sistorio, præsertim non vniuersali, cum talis cõsuetudo fuis-
set contra forum, & propterea non potest summi argumẽ-
tum à litteris Iuratorum, Inquisitoribus, & Iudicantibus
præsentatis, maximè, quia super fide dictarũ litterarũ, nihil
fuerat decissum, sed tantum cõsultatum, aut remissum, quid
prouidendum fuerat super fide, & assertione dictarum lit-
terarum, & quia illa est criminalis causa, cum qua non licet
ad ciuilem inferre, quare non videmus, vnde ortum habue-
rit hæc consutudo, quæ tribuat fidem dictis litteris de XX.

ſed hęc non multũ mouere dicuntur propterea quod aſſeritur litteris de XX. quæ vſque ad hæc tempora, nunquam fuerunt præſentatæ, fidem facere, propter conſuetudinem, hoc ſolum eſt aduertendum, an induxerit cõſuetudo, quod pro dicta aſſertione cauſæ occupationis bonorum, in cedula fori declinatoriæ, aut alias in litteris contentæ, ſit præſumendum iuris præſumptione, licet aliter de dicta cauſa non conſtet? dicimus iuris præſumptionem, quia pręſumptionem iuris, & de iure non poteſt inducere conſuetudo, ne per illam naturalis defenſio tollatur in totum, quod fieret, quia defenſionem ſuam, coram Iudice, impediretur allegare, non coram XX. & cęteris populatoribus executoribus Priuilegij, quoniam ipſi non ſunt Iudices, ſed vt hoſtes reputantur, cum hoſtiliter procedant, non coram Iudicibus, ſi ad ſolam aſſertionem, eorum iuriſdictio tollatur; quinimo, & illud fieret, vt à nutu, & mera voluntate habentium dictam deſtructionem, pendeat tota Regalis, & quę à Rege fluit, & ad eum refluit iuriſdictio, cum à mera eorum voluntate pendet, aſſerere perſonas, & bona, de quibus officiales Regij cognoſcunt, à ſe in vim Priuilegij occupatas, hęc ſiquidem impoſsibilia reputantur â iure. Ad probandum, ergo dictam conſuetudinem, quod pro dicta aſſertione cauſę præſumatur, adducitur multitudo copioſa proceſſum, alij, & maior pars illorum ſunt proceſſus actitati per dictam vniuerſitatem, in quibus reperiuntur plures ſummiſsiones, & executiones, & clarum eſt, quod ex illis non poteſt perpendi dicta conſuetudo, nam ſi in illis, non eſt actum coram Iudicibus, nec approbatum aliquid coram eis, non poteſt dici inductam eſſe conſuetudinem ſuper aſſertione, quæ facta non eſt, ſolum poſſet perpendi ex dictis proceſsibus, quod geſta ab vniuerſitate, in vim Priuilegij, ſunt ſine recurſu, ex quo à dictis executionibus, & male tractationibus, non fuit habitus; licet hoc argumentum, non videatur neceſſario cõcludens, cum ea, quæ facultatis ſunt, etiam antiquiſsimo tempore, non præſcribantur, nam ſi à le-

lege permittatur appellatio,& recursus,licet,in pluribus casibus,non fuerit habitus, non tamen deperditur,nisi volens vti,prohibitus fuerit,maximè, quia aduersus,tam potentẽ, & magnificam Vniuersitatem, hostiliter procedentem,vtilior est recursus,ante vulneratam causam,compositionis,& misericordiæ, quam Iustitiæ,post illam vulneratã; alij sunt, ex processibus fidefactis , actitati coram Iudicibus vniuersalibus,in quibus oblata cedula fori declinatorię pro parte Iuratorum,& Vniuersitatis,& mandata inseri,& petita copia per aliam partem , reperitur tantum assignatum ad rescribendum ; in quibus adhuc hodie posset rescribi , ex quo non sunt reputati contumaces,ex his etiam processibus,nõ est videre qualiter perpendatur consuetudo,quod standum sit per Iudicem dictæ assertioni, nam secundum dictam assertionem , si aliqua assertio causę continetur in dictis fori declinatorijs,nihil definierit,sed aut facto partium,non petentium impeditus fuit Iudex in causa procedere;alia,& vltima species processum fidefactorum est , in quibus super dicta fori declinatoria reperiuntur factę prouisiones , & hi processus sunt quatuor,duo actitati super denuntiationibus contra Iacobum de Montesa oblatis , alij duo vnus super iuris firma,alter super apprehensione;nam illud, quod asseritur reuocatum fuisse per Dominum Regem Alphonsum, sententiam Vicecancellarij, declarantis se Iudicem competentem,non probatur,nec videmus quomodo summi possit probatio ex dicto vnius testis , quoniam alij nihil concludenter deponunt , producti in alio processu , inter alias partes,sed neq;dictus testis in eius dicto concludit, cum nõ attestetur de meritis processus reuocationis , vnde si ad dictam reuocationem , opus erat constitisse de causa,præsumemus in tanto Principe probatam fuisse,potius quam iniustitiam fecisse;aut saltem fuisse factam in eo casu,quo Vicecancellarius supradictus declaraturus erat, se non iudicẽ, vt si agebatur de impediendo executionem Priuilegij. Dictos siquidem duos processus super denuntiationibus acti-

ta-

tatos, non esse trahendos in consequentiam, ex supradictis apparet, quoniam ex illis nullum factum Iudicis apparet, per quod inferatur ad consuetudinem, quod stetur assertioni, quia solum facta fuit deliberatio, de remitendo, & consulendo, quid super assertis, & narratis prouidendum fuisset, & illud quidem cum protestatione, quod solet impedire ortum, & natiuitatem consensus, ad inducendam consuetudinem. Præterea notissimum est, in consuetudine contra ius, non posse inferri de causa criminali ad ciuilem, quinimo, nec in ciuilibus de casu ad casum maiores nostri, secundum obseruantiam Regni, admittunt extensionem, etiam ex identitate rationis, & insuper, si coram Iudice denuntiato, non erat opus constare de torto, vt infra dicetur, quia de impediendo executionẽ Priuilegij, agebatur, multo minus coram Iudicantibus, & Inquisitoribus, quoniam vbi, iure aliquo, fundari potuisset liberatio à processibus denuntiationum, ab eo solum prætendi poterat, & prætendebatur, quia denuntiatus, in vim fori declinatorię, coram eo oblatæ, supersederat, & reuocauerat; quomodo ergo inferri potest ad inducẽdam consuetudinem, quod sit stãdum assertioni causæ, & torti à casu, quo nõ est opus cõstare de causa, & torto ad casum, in quo opus est constare de illo? hæc notissima sunt, cum ex separatis non bene inferatur; processus vero iurisfirmæ, in quo Iudicem competentem, post oblatam fori declinatoriam, se declarauerat, & postea dictam iurisfirmam reuocauerat, nõ refert, nec confert ad dictam consuetudinem, inducendam quinimo cum in eo ageretur de impediendo executionem Priuilegij, necessarió erat standum dictæ assertioni, super dicta causa, si expressa fuisset, & pro ea præsumptione iuris, & de iure quo ad dictum effectum, ne impediatur præsumẽdum erat, per supradicta, & ideo non erat declarandum, se Iudicem competentem, ad dictam executionem impediendam, sed nec iurisfirma, nisi in ea expressè ageretur de inhibendo, ne vigore executionis dicti Priuilegij, & pro executione illius tur-

turbaretur in posseſsione,erat reuocanda, ſed declarandum tantum, non obſtare dictam firmam dictæ executioni, & ita vtrumq;& declarationem,& reuocationem contra iura litigantium,factum putamus, res ergo peruentura eſt,circa dictam conſuetudinem inducendam,ad vnum tantum exẽplar, ſcilicet proceſſus apprehenſionis Hieronymi Cerdan, in quo oblata fori declinatoria,licet ea non obſtante fuerit pronuntiatum diffinitiuè,tamen poſtea declaratum fuit pa- tia;& vineam vocatã del Grech, nõ fore comprehenſam in receptione litiſpendentiæ, & licet hæc clara ſint,per vnum exemplar; maximè non docto obtentum fuiſſe,in vim cõ- ſuetudinis allegatę,non introduci,nec probari conſuetudi- nem;& licet etiam caſus dicti exempli, ſit longè diuerſus à caſu noſtro, quoniam multotiens pro qualitate inducente poteſtatem agendi præſumitur,ſi non negetur, quæ neceſ- ſario,cum faciat rem dubiam,hoc operatur, vt tollat dictã præſumptionem, & ideo, cum alia ratio reformet conſue- tudinem,eo in caſu,quo non negatur qualitas, & contenta in litteris non poſsit inferri de vno caſu ad alium, per ſu- pradicta; tamen ex alio, etiam manifeſtè conſtat à dicto exemplari,non poſſe ſummi argumentũ aliquod;nos quæ- rimus, ſi aſſerenti ſe occupaſſe bona alicuius propter tor- tum,& iniurias ab illo factas, ſit ſtandum eius aſſertioni,ſu- per dicta cauſa,ſed in fori declinatoria dicti exemplaris nul la continetur aſſertio dictæ occupationis,& cauſæ occupã- di.Quomodo ergo ex caſu in quo nulla aſſertio cauſę occu pãdi continetur,poteſt inferri ad conſuetudinẽ,quod ſtetur dictæ aſſertioni,ſuper dicta cauſa? dictæ ſiquidem fori decli natoriæ cauſam dedit cartellum Iudicis apprehenſionis mã dantis intimari Iuratis Ciuitatis Cæſarauguſtæ,& alijs qui- buſcumque apprehenſionem,& ſtatum proceſſus illius; & propterea, quod non occupent dicta patia, iam diruta, & quod vltra non diruantur, ne ſequatur violatio apprehen- ſionis,proponitur pro parte dictorum Iuratorum, fori de- clinatoria generaliter continens, ne prætextu firmarum fa-

 cto-

ctorũ,vel fiendorũ, manifestationũ ſcripturarũ,aut bonorum, appellitorum perſonarum,aut apprehẽſionũ factorũ, vel fiendorum compellãtur ſubire iudiciũ;imò litterę inhibitoriæ,per quas in executione ſuorum Priuilegiorum impediuntur tollantur,& ne,occaſione præmiſſorum,turbentur in executione ſuorum Priuilegiorum, nullum verbum, in dicta fori declinatoria de torto facto per Ioãnem, & Iacobum Cerdan, nec de occupatione patiorum , prætextu dicti torti,quæ patia, nec in proceſsibus ſuper declaratione dicti Priuilegij contra eos reperiuntur occupata , ſed tantum diruta, dictum ergo exemplar , non confert ad caſum noſtrum. Sed nec perperã declaraſſet Iudex ad dictam ſolam aſſertionem , prætextu dictarum prouiſsionum factarum, vel fiendarum, non debere dictam Ciuitatem in executionem dicti ſui Priuilegij impediri per ſupradicta , & propterea,non obſtante receptione propoſitionis litiſpendentiæ,ſuper dictis patijs,eo reſpectu, ne Ciuitas impediatur , in executione Priuilegij,circa dictam occupationem, quam in dicto cartello dicitur non debere fieri , ne apprehenſio violetur , rectè declaravit bona expreſſa comprehẽſa,in receptione litiſpendentiæ , non eſſe comprehenſa , & eo modo,reſpectu & vtramque ſentẽtiam, & receptionem litiſpendentiæ,& declarationem rectè fuiſſe factam cenſemus,ſecus tamen agendo,& ſimpliciter intelligendo,&admittendo non eſſe comprehenſa,daremus fatuitatem in Iudice declarante contra agnitam veritatem , non eſſe comprehenſa , ea quæ ſpecificè , & in indiuiduo comprehenſa erant,& tamen,nec eo modo nihil ad caſum, cum de aſſertione nõ conſtet,per ſupradicta.Hæc ſunt merita huius proceſſus,&quæ in facto procedũt,ſuper prætẽſa cõſuetudine, ex quo clarè reſultat omnia producta,& fidefacta ad inducendã conſuetudinem , ex quibus ſummi poſsit argumentũ aliquod, contendere,ne vniuerſitas in executione ſui Priuilegij impediatur,cũ non oſtendatur exemplũ aliquod, in quo de occupatione, vel dirutione iã facta cõqueratur aliquis.

quis. Minusque vllo vnquam tempore fuisse oblatam Fori declinatoriam, in qua asserantur bona alicuius occupata, propter tortũ, & iniurias Ciuitati illatas, licet ergo propter consuetudinem, vel aliàs ex causis iam dictis admittamus, standum esse assertioni vniuersitatis, quando de executione Priuilegij agitur, ne impediatur, non tamen ex eo casu, in quo non in totum naturalis defensio tollitur, sed potius dictus defensionis modus variatur, vt iuris professores attestantur, inferri potest ad casum nouiter occurrentem post, per actam executionem, & occupationem, in quo dicta naturalis defensio in totum tolleretur, si assertioni causæ occupationis bonorum, præsumptione iuris, & de iure standum fuisset, vnde, cum ex tot, & tantis non potuit dicta consuetudo probari, non est, quod admittamus notoriam esse cõsuetudinem, quæ non est; multa quidem dicuntur notoria, quæ non sunt, & cõsuetudo parans magnum præiudicium, & à qua pendet decisio causæ, debet in processu, non generaliter, sed specialiter plenè probari, & ideo sequitur secundum dictam allegatam consuetudinem, nihil posse definiri cum non entium, & non apparentium nullæ sint virtutes, neque potentię: ex quibus, & alijs iuridicè perpensis per Dominum Relatorem causæ, moti fuimus, aliàs, & nunc, in eius sententiam inclinamus. SIG✠NVM mei Ioannis de Aro, habitatoris Ciuitatis Cæsaraugustæ, authoritateq; Regia per totum Regnum Aragonum publici Notarij, substitutique in Regentem quandam ex Scribanijs Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, pro magnifico Bartholomæo Garate Notario, eandem Scribaniam pro dicto Domino Iustitia Aragonum principali Regente, qui huiusmodi Vota, & Motiua à suo originali libro Cõsilij dictæ Curiæ de anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo, vbi continuata existunt, extraxi, & per alium scribi feci, & cum dicto suo originali libro Consilij bene, & fideliter comprobaui, & in testimonium præmissorum meo solito signo signaui. Constat de suprapositis, vbi legitur,

ten.

ten, de, si, per dictam vigenariam potestatem in vim Regij Priuilegij antiquissimi, vulgariter nuncupati de Viginti, & aliàs factas fieri potuisse, & , à declaratione dicti Priuilegij condemnatione, & de rasis, vbi legitur tuus , litteris de Viginti credendum , præsumptionem inducere , impediuntur tollantur.